

Dissertatio inauguralis medica de chamaemelo ... / [Samuel Herzog].

Contributors

Herzog, Samuel, active 1739.
Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Litteris Joan. Christ. Hilligeri, [1739]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jf7ysxn3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

L XVI 28573/P
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CHAMAEMELO

QUAM
PRAESIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET
REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS
PVBLICE

Ad d. April. MDCCXXXIX.

DEFENDET
AVCTOR

SAMVEL HERZOG

HELVETIVS BERNAS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1911

CHICAGO, ILL.



LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 11 1911

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 11 1911

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 11 1911

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 11 1911

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 11 1911

CHICAGO, ILL.

V I R O

*CLARISSIMO MEDICO DOCTRINA ET
EXPERIENTIA LONGORVM ANNO-
RVM CONSVMMATISSIMO*

DOMINO

**S A M V E L I
HERZOGIO D.**

**COLLEGII MEDICI BERNENSIS SENIORI
ATQVE**

CHIRVRGICI PRAESIDI

PATRI SVO INDVLGENTISSIMO

OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

SPECIMEN HOC INAUGVRALE

DEVOTISSIMA MENTE

OFFERT

AVCTOR ET RESPONDENS.

VIR CLARISSIME

*PATER OMNI PIETATIS CVLTV
PROSEQVENDE.*



Sanctissimo animo recolligo ea beneficia, quibus me a primis annis in hunc usque diem affecisti, tantam eorum summam inuenio, ut quo me pacto exsoluam tantis debitis, quibus obstrictus sum, neutiquam reperire possim. Manebo itaque debitor, hocque vnum, ne ingratus viuam moriarue, curæ habebo, quando referre gratias non datur. Quum vero nunc in eo sim, ut vitæ academicæ finem imponam, specimenque profectuum edendum sit: video utique morem ab antiquo

tiquo ductum vt quisque magno cuidam viro, quo patrono vsus est vel in posterum vsurum se sperat, illud inscribat & dedicet. Nolui igitur dimittere hanc occasionem adeo commodam declarandi ac profitendi me nulli, præter TE, pater indulgentissime, plus debere, & a nullo vtique exspectare vt sincerius de meo labore ac peritius iudicet, meque in posterum consilio & opera adiuturus sit. Neque vereor vt adspernaturus sis studium in considerata & describenda vulgari plantula positum. Nam si recte TE cognoui, illud satis persuasum habeo, quod simplicia medicamenta & domestica longe præferre soleas grande sonantibus illis, quæ ex omni terrarum angulo cum buccina emitti magnoque pretio diuendi solent. Quod si impetrauero, vt plane spero, tui iudicii candidum calculum, parum vtique curabo aliorum censuras & obelos, quum non ignorem fieri non posse

vt omnibus ab vlllo mortalium satisfiat; aliqui autem ita comparati sint vt nihil laudent, nisi quod a se, aut vno vel altero, quem sine sufficienti ratione ducem delegerunt, profectum sit. Ego vero, idque TVO exemplo, liberique hominis & Heluetii ritu, nondum adduci potui vt credam diuam Hygeam cultores desiderare, qui libertatem eiurauerint, alienoque iudicio versari velint in negotio grauissimo, cuius bene vel male gesti rationes vnusquisque per se olim reddere debet. Quod superest altissimum rogo, vt TE, pater indulgentissime, sospitem & superstitem diu seruet, ægrotantium saluti, meoque maximo præsidio. Scribebam Halæ Saxonum die XV.

Aprilis MDCCXXXIX.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

CHAMAEMELO.

PROOEMIUM.

INter illa, quorum certa memoria suppetit, medicinæ præsidia, quæ a longissimo tempore hominibus inseruierunt, integramque laudem ad nostram vsque ætatem propagauerunt, forte primam sibi gloriam suo maximo iure deposcit plantula quam describendam suscepimus. Sunt enim, quæ in antiquissimorum medicorum manu frequentia & celebria fuerunt, complura quidem quorum nomina in materiæ medicæ indicibus hodie etiam fulgent, sed vel parum omnibus probari ea, vel æque ad vsum nostro tempore vocari, quam apud veteres, nemo dixerit aut comprobauerit. Quotus enim quisque est, qui hodie elleboro multum fidat ipsique ægrotorum salutem permittat: quum tamen antiquis esset familiarissimus. Elaterium, quod in magnos mortalium vsus parari PLINIVS scripsit, nostrorum aliqui ad officinam diaboli pridem relegarunt: forteque plures erunt qui sine ampliacione da-
mna-

mnabunt, quam quibus persuaderi possit vsum eius dari aliquem certum, securum & præstantissimum. Radicem scillæ a longa obliuione ante pauculos omnino annos vindicatum aliqui docti viri iuerunt: speramusque fore vt fruatur suis laudibus, si frugalis vsus perstiterit, & monita veterum diserta ante oculos vtentium versentur. Est etiam antiquissima opii commendatio per multas sæculorum decurias ad nos propagata: quis vero tam hospes est in vita, vt nesciat dari homines quorum opinione tantum non infame putatur remedium: prorsus vt aliqui, nescio quam honesti, omnem curationem traducant, ipsumque medicum, qui ad conspicuam salutem exhibuit, non suspectum reddant, sed aperte damnent, si vel tantillum opii admixtum medicinæ isti fuisse comperiant. Sed chamæmelo hæc fortuna obtigit, vt inde a tribus annorum millibus ad hunc vsque diem nullum tempus ostendi possit, quo ab officinis medentium absuerit; neque tam longo tempore, quo de medicina homines disseruerunt, aliquis ausus fuerit non præclare de ea sentire aut proloqui. Huius itaque plantulæ, tam obuiæ nostris vsibus, & de humano genere tam longo tempore præclare meritæ, considerationem suscepi; non illo quidem animo vt plaustro encomio-

miorum vndique congeram ; sed vt explorem quæ certiores & verissimæ sint laudes ex innumeris, quibus exornata est : qualibusque principiis constet, quibus cum veri simili aut certa ratione adscribamus causam earum virium, quæ candido & veraci experientiæ calculo comprobata inveniuntur. Quumque inter iucundissima studia etiam illud habeam colamque, quod botanicam ad artis formam reuocare annititur, atque hæc pars in primis faciat ad intelligendum quam quisque auctor speciem inter eodem nomine gauias plures indicauerit : etiam huius habendam rationem existimaui. Supereft vt beneuoli lectoris æquissimo iudicio, quicquid hoc est ab industria mea profectum, subiiciam, eiusque arbitrio liberrimo permittam.

§. I.

QUod nos hodie chamæmelum, vel corrupte chamomillam vocamus plantæ genus, id vetusti auctores Græci appellare solebant *ἀνθεμῖς*, atque id ipsum nomen ad Latinos etiam migravit. Sed illud hodie magis receptum antiquis non fuisse ignoratum satis certo constat. Videamus duos auctores præstantissimos, qui fere eodem ore testimonium dicunt. Primum prodeat **DIOSCORIDES** qui *lib. III. cap. CLIV*, quod de anthemide inscriptum est, ita docet : *Anthemidem*

dem alii leucanthemon, alii eranthemon, quoniam vere floreat, alii chamæmelum, quoniam odorem mali habeat, nonnulli melanthemon, alii chrysocomen, alii denique calliam vocant. Nihil opus est his verbis vlla declaratione. Sed forte non intempestive monuisse videbor, si de melanthemo adiiciam aliquid. Præstantissima Saraceni editio hic mendose scribit μελάνθεμον, quod rei naturæ repugnat. Nemo enim prodidit nigrum huius plantæ florem. Præeuntem habuit in errore Aldum Manutium, qui eodem modo legit. Res postulat scribi μηλάνθεμον, quod florem notat, a quo mali odor exspirat. Atque sic videtur in codd. Florentinis legisse Marcell. Virgilius, qui nomen Latine scribit malanthemum, subiuncta in adnotationibus ratione: ab odore mali, quem habet malanthemum. Sed nunc alterum audiamus testem, PLINIVM *hist. nat. lib. XXII. cap. 20.* Anthemis magnis laudibus celebratur ab Asclepiade. Aliqui leucanthemida vocant: alii leucanthemum: alii eranthemon, quoniam vere floreat: alii chamæmelon, quoniam odorem mali habeat: nonnulli melanthemon vocant. Vero sane simillimum videtur ex vno eodemque auctore vtrumque hausisse: sed non vacat inquirere quis ille fuerit, & annon forte Salmasio fides adhibenda sit, qui in talibus, quæ communia Dioscoridī ac Plinio sunt, Sextium Nigrum ab utroque exscriptum affirmat.

§. II.

Pro ἀνθεμῖς apud THEOPHRASTVM *histor. plant. libr. VII. pag. 172. edit. Ald.* scriptum inuenio ἀνθεμον, quod nomen Græcis idem alias valere ac ἀνθεῖς, docet nos EVSTATHIVS ad *Iliad. β'. vers. 695.* Patet hinc etymologia vocabuli, & quod ἀνθεμον ac ἀνθεμῖς florem præ-

præstantissimum : qui instar sit omnium florum , existimauerint, qui primum id nomen imposuerunt. Posteriores, vt magis ad speciem reuocarent nomen tam generale, præposuerunt aliquas notas, vt a colore, in leucanthemide aut leucanthemo, quod album florem sonat; a florendi tempore, in eranthemo; ac denique ab odore in melanthemo. Laudat etiam PLINIVS *libr. XXVI. cap. 8.* anthemum; sed video hoc exponi de nigella vel potius nigellastro. Multum inquirendo tandem videor mihi originem deprehendisse in CONR. GESNERI *Catalog. plant.* qui docet *μελάνθεμον* fuisse mutatum in *μελάνθιον*, atque hoc subiectum fuisse pro anthemio folioso Theophrasti: cui quidem disceptationi finiendæ me non impendam; quum certe nullam rationem videam cur anthemum Plinii non sit species anthemidis illa Dioscoridis, quam proprie eranthemon vocari scribit, cuiusque vires & vsum eundem vterque paribus fere verbis addocet. Sed quum non sint ad manus Theophrasti plures editiones, præter indicatam Aldinam, cogor iudicium omnino suspendere, quantum de Anthemo Theophrasteo quæritur.

§. III.

Tria anthemidos genera esse Dioscorides prodit, flore tantum distantia. Sed vix aliquid certi & characteristici ex eius descriptione eruas: quod quidem omnibus veterum scriptis botanicis commune & a multis deploratum est vitium. Theophrastus duplicem differentiam indicat; vnum enim folia humi spargere, alterum caulem foliosum habere docet: qua itidem nota parum iuuari possumus. Quare missa illorum hac

doctrina, vtemur fructibus improbi studii, quod recentiores auctores disciplinæ botanicæ impenderunt, quoque effectum est vt clarius denotare possimus tam genera, quam sub eorum quoque comprehensas species. Dolendum vtique, quod nondum consenserunt illi viri in vno systemate, sed plura indies proferuntur. Opus igitur erit paucis attingere quid celebriores de chamæmelo statuerint. Audiemus primo virum iure magni nominis IOS. PITT. TOVRNEFORTIVM, qui plantam nostram ad classẽ XIV. quæ radiatum florem habentes complectitur, retulit, & sectioni eius tertiæ, herbas flore radiato, semine pappis & capitulis foliosis carente comprehendenti, tamquam genus quintum subiecit. Ita autem describit tandem, quod sit plantæ genus flore plerumque radiato, cuius scilicet discus ex plurimis flosculis, corona vero ex semiflosculis componitur embryonibus insidentibus & calice squamoso comprehensis: embryones autem deinde abeunt in semina thalamo affixa. His notis addere iubet folia in tenuissimas lacinias diuisa, totiusque plantæ faciem. Subiicit ad hanc definitionem pertinentes species XIX: de quibus deinde dispiciemus, si prius aliorum sententias audiuerimus.

§. IV.

Prodeat autem Britannorum botanicorum decus IO. RAIVS, qui *histor. plant. lib. VIII. cap. 4.* de chamæmelo tractat inter herbas corymbiferas. Vocat autem corymbum, præeunte IO. BAVHINO, florem compositum non papposum. Quum vero late hæc classis pateat, in quatuor genera subalterna disiungit, quorum
ter-

tertium est eorum quibus barbulae diuersi a medio disco coloris obtigerunt, flores autem solitarii aut sparsi non in umbellam digesti. Sunt itaque eius notae corymbus, flores sparsi satis grandes, foliis marginalibus albis discum flauum cingentibus: quibus denique accensenda sunt folia tenuissime dissecta. Sed folia alba seu barbulae discum instar radiorum cingentes, non omnino illum habuisse pro essentiali nota, ex eo discas, quoniam inter chamæmeli species locum relinquit chamæmelo nudo, seu quod capitulum habet sine foliis. De eo autem sic declarat mentem suam, ut lusum quendam naturæ haberi velit, cuiusmodi in aliis plantarum speciebus obseruetur, ut matricaria, tripolio.

§. V.

Inter Germanos plerique sequuntur celeberrimi RIVINI doctrinam, ex qua chamæmelum refertur inter plantas flore perfecto, regulari, composito ex regularibus & irregularibus, & semine quidem solido instructas. Quare CL. LVDEWIGIUS in *defin. plantarum* has notas tradit: radicem fibrosam, folia tenuiter secta, calicem squamosum multiplici foliorum serie expansum, florem vel radiatum, radiis obtusis albis, vel nudum, habitum denique proprium. Ex Belgis, ut vniuersæ medicinæ lucidissimum sidus, sic rei botanicæ phosphorus, qui nuper cælitibus adscriptus est, HERM. BOERHAAVIUS chamæmelum adscripsit gymnomonospermis flore composito, quibus flos est ex flosculis minoribus communi calyce contentis monopetalis, ovario innatis, staminibus propriis coalitis in tubum, semen nudum vnicum. Cumque huius generis plures sint,

seorsim adnumerat discifloris radiatis non papposis. Recentissimus tandem botanicus D. CAROLVS LINNÆVS, Suecus, noui systematis auctor, quod sequuti possint genera & species plantarum, absque iconum ope, determinare & dignoscere, chamæmelum in classe *Syngenesiorum* reponit: vocat autem syngenesia, vbi stamina antheris in cylindrum sunt coalita. Tamquam notas proprias chamæmeli pag. 258. recenset; *calicem* communem hemi-sphæricum, squamis linearibus, fere æqualibus; *corollam* compositam radiatam, cui sint corollulæ hermaphroditæ tubulosæ, numerosæ, in disco conuexo; femininæ ligulatæ, in radio; *stamina*, hermaphroditis filamenta quinque, capillaria breuissima, anthera cylindræa, tubulosa; *pistillum*, hermaphroditis germen oblongum, stylus filiformis longitudine staminum, stigmata duo reflexa; feminis autem germen oblongum, stylus filiformis longitudine hermaphroditi fere, stigmata duo reuoluta; *Perianthium* nullum, calix immutatus; *semina* solitaria, oblonga, nuda; *receptaculum* conicum, paleis instructum. Sunt in hac descriptione termini, quorum sensus pendet ab intellectu systemate sexuali plantarum, cuius quidem omnes rationes huc apponere nimis prolixum esset, quare apud ipsum auctorem pag. 232. 233. legi debent.

§. VI.

Vidimus, quantum satis est, quid celebribus viris de genere chamæmeli constituendo visum fuerit. Nunc videndæ erunt species, non omnes, sed quæ vsum medicum habent & in officinis requiruntur: ex ceteris addeamus de quibus aliquid monendum succurret. Ex omnibus has dabo:

I. Cha-

I. *Chamemelum vulgare amarum* I. Bauh. *Leucanthemon* Dioscoridis. C. B. Pin. 135. & Dodonæi, pempt. pag. 257.

Huic potissimum quadrant omnes notæ, quas in descriptionibus variorum auctorum attulimus. Est autem vulgatissima & obuia in fegetibus, caulem propellit, satisque diu florens reperitur. Notabilis est differentia odoris in vna alteraque regione. Sentias enim alicubi illum mali odorem, a quo nomen accepit, in aliquibus excellentem, in aliis debilem aut plane nullum: quo posteriori casu videretur *cotula non foetida* ab auctoribus designari. Quo autem magis est odorata, eo censetur nobilior & officinis magis expetitur. Ceterum a *cotula* tam inodora, quam foetida solo odoratu optime distinguitur: si quis autem pluribus signis delectatur; videat apud RAIM H. P. tom. I. pag. 355. 2.

II. *Chamemelum nudum odoratum. luteum capitulo aphylo* C. B. *aureum peregrinum capitulo sine foliis.* I. B.

A præcedenti vix differt, nisi barbularum, vt Raius vocat, aut foliorum, floris, qui radiorum instar discum ambeunt, absentia. Nescio an iure peregrinum dicas, quum apud nos passim occurrat. RAIUS putat esse lulum naturæ quendam, cuiusmodi in aliis plantarum speciebus, vt *matricaria*, *tripolio* obseruetur. An forte est *chrysocome* Dioscoridis? aut potius *chrysanthemum* eiusdem? an hæc synonyma?

III. *Chamemelum odoratissimum repens flore simplici* I. B.

III. *Chamemelum idem flore multiplici. Repens odoratissimum perenne fl. multiplici* I. B. *Romanum officinarum.*

Cau-

Caules huic sunt, docente Raio, tenues, hirsuti, striati, in terram procumbentes, & subinde radices agentes, vnde immensum se propagat. Flores in summis caulibus & ramulis singulares, pediculis prælongis insident, pro plantæ modo ampli, radiati, petalorum alborum & oblongorum continua serie discum medium flauum cingente in simplici. Illud flore pleno in hortis ob raritatem & elegantiam studiose colitur, cum vel sationi vel transplantationi aliue mangonio, aut interdum casui seu accidenti cuidam ignoto originem suam debeat; non noua chamæmeli species, sed accidentalis potius varietas, iudice Raio, censenda est. Officinis est commendata etiam hæc species, & apud nos tantum in hortis colitur.

V. *Chamæmelum fætidum* C. B. Pin. 135. *Cotula fætida* L. B. *Cotula alba* Dodon, Pempt. 258.

Distinguunt multi cotulam a chamæmelo, & separatim genus faciunt, vt Tournefortius, Vaillantius, Linnæus: quia semina ipsi sunt ouatotrígona, cordata, hinc plana, inde gibba, margine obtuso cincta. Aliquando, sed rarius, ad vñus medicos expetitur.

VI. *Chamæmelum Aegyptium* Prosperi Alpini. *Anthemis Aegyptia*.

Quia non video vllum a me inspectum auctorem botanicum huius meminisse: ipse autem auctoris liber de plantis Aegyptiis non ad manus est: nihil possum certi de ea dicere. Quantum meminisse possum figuræ olim consideratæ, non omnino conuenit cum nostrate chamæmelo. Volui autem hoc indi-

indicare, quia inferius sermo erit de hoc chamæmelo instituendus. Est enim forte antiquissimum omnium, quod ad vsus medicos vñquam vocatum fuit.

VII. *Eranthemum Dioscoridis.*

Notæ eius sunt, quod vere floreat, quod florem habeat purpureum, (*πορφύρεον*) quod omni ex parte ceteris maius ampliusque sit. Iam cæterorum forte nullum ante veris exitum floret: nullum memoratur rubeum aut purpureum. An eadem planta cum Plinii anthemio de quo supra? an flos roseus, quem Plinius dicit, non a similitudine alia, præter illam coloris rosei, appellatus, vt roseum ac *πορφύρεον* æquipolleant? An Plinii locus ita accipiendus: *Trifolium primum, & chrysanthemum primum, i. e. illa species chamæmeli num. 2. indicata*) *anthemion quoque* (i. e. vt & illa anthemidis species quæ *eranthemum* vocatur, & flores roseos h. e. rubicundos habet) *calculos eiicit.* Sed hæc botanici excutiant, si quando placuerit nobiles curas a nostri æui viuis & præsentibus deliciis ad illustrationem veterum conuertere. Video *Eranthemum* exponi florem *Adonidis*: in quem cetera sic satis quadrarent, si de virtute medica chamæmelo, vlla ex parte comparanda quicquam liceret confidere plantæ ex *ranunculorum* familia, *aconitis* valde affini, & malignis viribus satis testatis prædita.

§. VII.

Progredimur ad vires chamæmeli indagandas. Quod vt melius maiorique cum certitudine fiat, aliquas ab experi-

perientia suppeditatas obseruationes prius adducemus. Et primo quidem notabile videtur, quod chamæmelum vix vñquam alibi reperiatur, quam in agris cultis: atque hos inter non tantopere amet solum nigrum, & natura pingue, quam aliquanto magis macrum & arenolum; inque tali, si probe stercoreatum fuerit, non solum copiosissime proueniat, verum etiam odore malo cydonio proxime accedens. Vbi vero in agris nigriori solo præditis & compactiore, nuper etiam stercoreatis, crescit, non perinde iucundum odorem naribus adspirat. Quin in fimetis crescens omnino iniucundum foetidum odorem spargit, & cotulæ foetidæ nomen meretur. Etiam illud habeo a viro qui sæpius obseruauit, quod iis locis, quæ nuper prata fuerunt & in culta arua mutata sunt, primo anno millefolium inter segetes crebrum sit, chamæmelum raro conspiciatur: sequentibus autem millefolium rarius, chamæmelum longe frequentius conspiciatur: prorsus vt agricolis quibusdam persuasum sit millefolium, quod prata magis amat, cum tempore, & cultura accedente, in chamæmelum mutari: atque vicissim chamæmelum, si ager ipso luxurians in pratum conuertatur, ad millefolii naturam migrare. Hanc ego quidem obseruationem suis auctoribus relinquo, & illis, quibus occasio obseruandi fauet, commendo, aliamque minus dubiam obseruationem subiungo, quæ magnam inter millefolium & vulgare chamæmelum conuenientiam indicat.

§. VIII.

Scilicet flores chamæmeli vulgaris, destillationi iusto tempore commissi, largiuntur oleum cæruleum vere
sapphi-

sapphirinum: idemque faciunt flores millefolii quod locis pascuis aut iuxta vias, vbi animalia accedunt & stercora sua proiiciunt, productum fuit. Nam quod millefolium macriori & arenoso loco creuit, spem destillantis aliquando eludit: vnde aliqui, sed plane immerito, negauerunt millefolii floribus cæruleum colorem deberi, eundemque a vitiosa destillatione ex cupreis valis, stanno male obductis, derivare ausi sunt. Nondum legi præter hæc duo vegetabilia dari alia, quæ oleum sapphirinum largiantur. De pimpinella cærulea, cuius radices, si spiritum vini illis infundas & destillando inde auoces, primus, quod scio, ELSHOLZIVS *in destillatoria curiosa* notauit, quod spiritum sapphirino elegante colore imbutum largiatur. Vidi illas apud D.D. PRÆSIDEM radices, fusco tegmine exterius obductas: idemque mihi retulit, quod in patria sua & vicinis locis, deinde per Marchiam frequentissima sit: nullibi autem eam repererit nisi vel in cœmeteriis, vel istiusmodi locis quo iumenta frequentius pelluntur a rusticis, quæque ab iis copiosius stercoreantur. Vix dubito quin hæc pimpinella, si semen eius destillationi subiiceretur, etiam cæruleum sit datura oleum: sed experiendi occasione destitutus nihil pro certo affirmo. Quod autem huius cæruleæ radix sedatiua & anodina virtute alteram vulgarem albam longe superet, clarum habemus testimonium D.D. GOHLII *in manu duct. ad prax. clinicam*, Norimbergæ edicta. Ex quo illud in genere conficitur, quod oleo cæruleo imbutæ plantæ viribus conueniant: quumque nec millefolium nec chamæmelum, nec pimpinella cærulea illud, quod sapphirinum

C 2

ole-

oleum facit, nisi ex locis fimo animalium pinguefactis trahant: annon iuste concludemus illud ipsum, quod oleo isti cæruleo inest, origine sua vltima ex animalibus deduci, & in vtriculis & organis plantarum idonearum colligi, elaborarique? Quam præfens autem sit virtus anodina in animalibus illis partibus, quas intellectas volumus, instar omnium persuadebit celeberr. D. D. THEOD. ZWINGERVS variis sui theatri praxeos medicæ locis: de quo hic locus plura non admittit.

§. IX.

Porro non exiguum adminiculum perueniendi ad cognitionem virium, quibus vegetabilia pollent, iam pridem a maximis viris hoc ostensum est, si quis convenientiam in florendo & fructificando attendat. Etiam hanc viam insistentibus nobis chamæmelum offert spectabilem convenientiam cum tanaceto, agerato, absinthio, artemisia, abrotano, dracone, que dracunculum esculentum vocant: quippe a quibus vix alio differt, quam quod flos chamæmeli plerumque radiatus est: dilci autem & seminum ratio quam proxime conuenit. Sed propius accedunt bellides & matricaria vt & millefolium. Ex quibus apparet quod mirandi nulla ratio sit, si pleræque dictarum plantarum egregiæ vires discutientes, resoluentes, aperitiuæ, emmenagogæ, anthelminticæ, pectorales, etiam in chamæmelo spectatæ & notatæ fuerunt. Idemque efficit, vt minus angamur, si forte aliquam a veteribus obscurius descriptam speciem non accuratissime possimus internoscere, e. g. illam, qua antiquissimi Aegyptii ante ter mille annos vsi fuerunt: quum vero simillimum sit ab horum congenerum aliquo

quo nos non sine ratione expectare, quod illi de specie vna tantopere prædicauerunt.

§. X.

Vt vero clarius pateſcat qualibus principiis conſtet chamæmelum; ad experimenta illa veniemus, quibus diuerſæ in corporibus mixtis partes deteguntur & ſeparatim exhibentur. Quod ſi igitur chamæmelum adultum & florens furno commodo & leniſſimo igne, qui non maiorem calorem quam octoginta quinque graduum thermometri Fahrenheitiani præbeat, recens deſtilletur, omnibus iis conditionibus obſervatis, quas HERM. BOERHAAVIVS *chem. parte II. proc. 1.* præſcribit, elicitur aqua tenuiſſima odorem, quin etiam ſaporem ſpecificum plantulæ huius omnino referens, ſed adeo ſubtiles ac volatiles particulas complexa, vt ad liberum aerem diutius relictæ, omnino inſipida & vappida reddatur. Atque hæc ipſa aqua, cum tenerrimis & penetrantiſſimis plantæ viribus, eſt quæ perit in planta, quando exſiccatur, aut quando decoquitur. Si vero illam ſeorſim collegimus, atque decocto partium ſalinarum & terrearum cauſa facta addamus, vbi doſis aſſumenda eſt, optime conſulimus & ſpei offerentis medici & accipientis ægroti. Quod ſi vero ſatis magnam quantitatem recentium florum, quas inter aliqui ſint, qui iam deſloruerunt & ſemina perficiunt, addita aqua prius maceres, deinde ex veſica deſtillatione ſubiicias: prodibit primum aqua prius deſcriptæ non multum diſſimilis, nobiliſſimis viribus prædita & ſecum olei ſapphirini quantitatem modicam ducens. Atque hæc etiam prima aqua, quæ aliquantulum turbida prodit, virium

est laudabilissimarum, de quibus deinceps loquemur. Oleum, quod ex vulgari sapphirinum, ex illo, cui Romani nomen in officinis datur, flavesceat prodit, etiam vires excellentes possidet: sed colorem mox mutat, aut vix ultra vnum annum, si genuinum est, conseruat: monente illustri FRID. HOFFMANNO in *observ. physico-chem. pag. 7. § 12.* Celerius illam iacturam facit si vase non omnino repleto aut probe obligato detineatur. Quæ vero aqua postremum sub hac destillatione elicatur, viribus, odore & sapore cassa, omninoque iners deprehenditur.

§. XI.

Apparet ex dictis, quod in chamæmelo sint partes oleoso salinæ facile dissipabiles. Ex quo sponte fluit, quod decoctioni longiori ferendæ minime aptum sit: infusioni autem cum aqua feruente, lacteve idoneum sit: quodque vino etiam imbibendas & extrahendas partes permittat: quamvis cum hoc, magis etiam quam cum aqua, caute mercandum fuerit, ne calor vna vini nobiliores particulas, cum plantæ particulis, abripiat in auras & auferat. Hinc medicus præstantissimus SIMON PAVLI in *quadrip. botan. pag. 282.* haud ignobile remedium docet parare ex floribus chamæmeli vulgaris cum vino Rhenano infusis & blando calore digestis: a quibus effusum vinum novis floribus affunditur ter, quaterque, vnde viribus florum penitus imbuitur. Notabile est, quod sub hac repetita infusione tam falsum redditur vinum, vt gustans iuraret aliquot salis culinari pugillos fuisse admixtos. Ex quo discimus præter volatiles oleosas & salinas partes eidem inesse salinas fixas:

xas: quæ etiam in extracto perstant, in quo salinus amarus sapor gustu deprehenditur. Non male itaque HERMANNVS in *cynof. mat. med.* chamæmeli floribus tribuit aliquid balsamicum volatile, in salibus tam fixis quam volatilibus residens: idque salinum penetrantius in illo, quod Romanum dicimus, sed vim anodinam potiore in vulgari agnoscit. Inque hoc plane consentientem video IO. RAIM in *hist. plantar. tom. I. p. 354.* Atque hæc dicta omnibus chamæmeli speciebus sic satis quadrant, nisi forte cotulam foetidam excipere oporteat, quippe cui, teste MATTHIOLO ad *Dioscorid. p. m. 649.* tanta acrimonia est, ut cutim exulceret adalligata: unde RAIMS *c. l.* miratur TRAGVM, qui herbam contusam vulneribusque recentibus emplastri loco impositam, ea glutinare ac per sanare scripserat.

§. XII.

Vires chamæmeli sic complectitur HERMANN. BOERHAAVE in *hist. plant. pag. 163.* vim habent (diuersæ species officinales) aromaticam, oleo penetrante, sed leni nec multum adherente, non inflammante. Sapor est amarus aperientissimus, oleosissimus & carminatiuus. Summopere aperit, emollit, calefacit, diuresin mouet, laxat, discutit. Herba externe applicata emollit & maturat locum inflammatum. In omni morbo a pituita crassa orto optime conducit. Ingreditur cataplasmata, balnea vaporis, infusus, fomenta, clysmata. Est præterea planta antipyretica. -- Verum nescio, quare multi medici hanc plantam inter antiphlogisticas recenseant, & ordinario cum sambuco una præscribant; quum in sambuco sit gratissima vis refrigerans & nitrosa virtus. Conuenit tantum hæc planta, ubi lentor & viscositas frigida adest. Plura indicato loco leguntur, quæ non afferemus, his abunde

unde contenti. Plura etiam larga manu suppeditat botanologiæ medicæ diligentissimus scriptor D. D. ZORNIVS. Paucis multa complectitur laudatus SIM. PAVLI: adeo præclari est usus chamæmelum, ut merito inter euporista primas teneat, & inter simplicia cætera optimum polychrestum audiat. Nos nunc exstantiores vires & maxime testimoniis confirmatas experientiæque respondentes singulatim recensebimus.

§. XIII.

Antiquissima anthemidis seu chamæmeli commendatio est ad febrium intermittentium curationem, ab Aegyptiis exorta & usque ad nostra tempora summorum virorum testimonio stabilita & propagata. Et quantum quidem ad antiquos pertinet, omnia accurate persequitur D. D. PRÆSES in *diff. de febre. intermit. curat. antiq.* quare sufficiat hæc paucissimis attingere. Scilicet Aegyptii flores recentes in mortario contundebant, cogebant que in trochiscos exsicccandos, quos usus tempore oleo diluebant, quo ægrotantem toto corpore oblinirent; quo facto in lectum reponebant, ut sudaret. Repetita est hæc commendatio a Dioscoride, Galeno, Aetio, aliisque: nostris temporibus a MORTONO, PITCARNIO multisque aliis; quorum nouissimos suis nominibus appellare liceat. BOERHAAVIVM modo audiuius de virtute antipyretica testimonium dicentem. Sed iuuabit eundem, se clarius exponentam percipere. Ita autem scribit *Element. Chem. tom. II. pag. 77.* aquam chamæmeli sæpius cohobatam ad expugnandas tertianas multum valere. D. D. PRÆSIDIS testimonium in modo citata dissertatione legitur *pag. 10.* quod pertinet
tinax

tinax quartana, quæ per XXXVI. menses contra omnem medicorum industriam restiterat, floribus chamæmeli tandem expugnata fuerit: quodque in aliis optatos successus viderit. Quum vero certissimum utique sit, quod non omnes intermittentes æque facile cedant huic medicinæ: causas subfuisse, cur aliqui non curati fuerint, necesse est. Scilicet chamæmelum vi insigni anodyna & spasmos demulcente præditum, non iuuat alio modo, quam illos relaxando. Si itaque ab alia causa febris sustentetur; ut primarum viarum vitiis, exanthematibus retropulsis; non utique præclara efficiet medicina, nisi causa talis correcta aut sublata fuerit. Sæpe utique tertianæ horas vespertinas usurpantes, & quartanæ, pendent ab incremento corporis: talibusque ad febrim auferendam externa quæ fibras relaxant, & interna relaxantia ac anodyna, præclaram opem præstant. Ceterum nolim affirmare, quod in febrium curationibus cortici peruiano paria omnino faciat: in eo autem lubens accedo BOERHAAVIO, quod quouiscunque modo adhibitum si non certo iuuat, nullum tamen detrimentum reliquæ valetudini afferat. Poterit itaque vel succus expressus vel aqua destillata exhiberi, vel flauedo discum constituens, pro vñu interno: oleum autem infusione paratum inungi dorso ante paroxysmum: decoctum etiam pro enemate, vna cum oleo iniici, ante paroxysmi aduentum. In quo si quis aliquamdiu manere voluerit, videbit utique quod in aliquibus operæ sit facturus pretium: illis utique maximum, vbi fibrarum ex quacunque causa tensorum rigiditas culpam vere sustinet.

§. XIV.

Progredimur ad virtutem carminatiuam insignem, quam in chamæmelo omnes in cœlum laudibus extolunt. Carminantia aut carminatiua dicuntur, quæcunque diros intestinorum dolores tamquam carmine magico demulcent & sopiunt, siue interius sumta, siue injecta, siue denique exterius abdomini imposita. Doloris autem illius frequentissima causa est flatuum, per intestina collectorum & restitantium, copia, vnde illi expansorum intestinorum fibris, præ nimia tensione rupturam minantibus, sensum tristem ac molestum inferunt, quo stimulata se contrahere nituntur, sicque inclusos flatus ex vna parte in aliam propellunt, vnde vagæ discurrens dolor & sonus hinc inde discurrentium percipitur. In tam dolorifico affectu quasi specificum ab omni æuo deprehensum celebratur chamæmelum. Inter multos auctores candidissimum ipsi calculum adiicit illustris FR. HOFFMANNVS in *dissert. de specifica quorund. remed. efficac.* §. 18. diuque in officinis est multum vsitata aqua carminatiua Dorncreilii, cuius basin constituunt flores chamæmeli Romani, & secundum alios, vulgaris. Proxime ad eam accedit aqua chamæmeli composita pharmacopoeæ Bateanæ, vtique pulcherri-
ma. Potest hoc scopo coniungi millefolium, cuius summitates floridæ millefolii vulgaris floribus iunctæ & cum vino, aliquibus etiam, si placet aromaticis, vt corticibus citri, aurantium, cinnamomi, destillatione præbent aquam spirituofam in colica non solum flatulenta, verum etiam nephritica & hæmorrhoidali, vomitibus etiam diris nephriticorum compescendis prorsus

fus singularem & vix vlli remedio posthabendam. Faciunt etiam hoc rerum statu operæ pretium enemata ex florum chamæmeli decocto, & oleo chamæmeli infuso. Quin infusum florum chamæmeli bibitum vel cum aqua, vel aqua & lacte, si nihil hoc prohibet, optatam fert opem. Femina, quæ post ingentem iracundiam vomituriebat, & incaute dato vomitorio in vitæ periculum præsentissimum coniecta fuerat, vbi illud superauerat diu cardialgia grauissima torquebatur, vbi vel minimum cibi solidi assumserat, aut salis vel sacchari tantillum. Profuit ipsi, ex consilio illustr. HOFFMANNI, diu adhibitum infusum horum florum cum aqua lacte permixta, ad tres fere menses continuandum, cum cremore auenaceo, orizæ, similibusque nutritiuis farinosis.

§. XV.

Si quærimus, qua ratione chamæmelum carminantem virtutem peragat, vtique illam potissimum exferere putem ratione suæ virtutis, qua tensa remittit & laxat; quam GALENVS *de facult. simpl. medicam. III. cap. 9.* probe iam docuit, & argumento plane practico confirmavit, quod lassitudini demendæ, vt si quid aliud, in primis conferat. Sed & ipsum amarum ac oleoso aromaticum, quod ipsi inest, partim pituitæ viscidæ in intestinis obhærescenti inseruit digerendæ & incidendæ, partim roborandis flaccidis fibris, quæ initio mali in causa fuerunt, vt motus peristalticus languidior sineret exhalantes vapores subsistere & caua intestinorum distendi. Accedit in illis formulis, vbi vinum adiicitur, illius etiam

iam vis incomparabilis remissam & flaccidam fibram roborandi, tonumque debitum restituendi.

§. XVI.

Emmenagogam virtutem chamæmelo multi tribuunt, quos inter FERNELIVM & BOERHAAVIVM indicasse sufficiat. Eam ita exaggerant aliqui, ut & grauidis abortum procuret, scribente ARNOLDO VILLANOVARO. Vsum præcipiunt tam internum, infusi forma, quam externum, ut balneis infusibusque parandis adhibeatur. Si quærimus modum, quo chamæmelum possit mensium fluxum promouere; occurrunt inter satis frequentes eorum suppressorum causas illæ, quæ spasmum vehementiorem & profundius constringentem inducunt, ut refrigerationes, terror, adstringentium incongruus vsus, varii dolores. Atque iisdem efficitur, ut puerperis etiam lochia fluentia suppressantur: quare eadem horum expediendorum, quæ & mensium, habentur remedia. Quicquid igitur chamæmelum in hoc genere efficit, relaxando fibræ rigidiori habitu, & sanguinis ad extrema arteriolarum promouendo aut potius permittendo accessu, efficit. A quo certe auxilio ut consequi abortus possit, nullo quidem pacto me perspicere fateor: quare existimo, si quid tale obseruatum vnquam fuerit, fallaciam causæ non causæ obrepisse obseruatoribus, quibus non indicatum fuit, quid præter chamæmelum sit adhibitum, aut, quæ aliæ causæ abortum induxerint, requirere non vacauit. Potest itaque secure & cum optima fiducia tam aqua destillata exhiberi tempore instantium sed restituantium mensium, quam abdomen inungi oleo chamæmeli per infusio.

fufionem parato. Neque minus in fuppreffis menfibus vel lochiis hæc conducent, vna cum enemate ex chamæmelo, aut infeffu cui hi flores incocti fint. Quotidiana hæc praxis tam medicorum, quam obfetricum confirmat: quippe omnibus follemne eft in hoc cafu ad chamæmelum confugere.

§. XVII.

In nephriticis paffionibus plurimum laudis debetur chamæmelo, quam præftantium medicorum testimoniis confequutum eft. Solet autem paroxyfmis iftis fere iungi vehemens & continua vomendi neceffitas. Ille vomitus, quum mere fit fymptomaticus, & nihil quicquam boni præftet, eft omnino fecuris medicinis fedandus. Quantum hic valeat aqua chamæmeli deftillata, præcipue fi flores millefolii accefferint, iam fupra indicauimus. Agit eodem modo, quo carminatiuas vires exlerere diximus. Sabulum enim aut calculus pelui vel vreteribus infidens dura fua & angulofa acutie fenfibles tunicas irritat & dolorem efficit: dolor conffriktionem fpafmodicam, quæ non fubfiftit in parte affecta, fed ad colon incumbens proxime propagatur; hinc ad omnia inteflina & ventriculum excurrit. Nerui hinc contracti mufculosas tunicas vehementer conuellunt, illumque motum, quem vomitum dicimus, producunt. Securiffima vtique his medicina eft a prædictis, longeque minus reformidanda, quam quæ ab opiatif tali rerum ftatu impetranda effet: quippe talia incautius data paresin fæpius induxiffe vifa funt.

§. XVIII.

Porro sub nephriticis his doloribus sæpe accidit, vt vrina omnino supprimatur, calculo aut sabulo multo transitum prohibente, siue mole sua, siue acutis & angulosis extremitatibus, dolorem excitantibus & constrictionem arctiorem inducentibus. Hic iterum omne ab antispasmodicis & relaxantibus auxilium, vni- ceque expectandum est. Iuuat hoc casu interne aquam & oleum destillatum, saccharo infusum & in potius- culas redactum, præbere: quod cum sæpius bene cesserit; aliquando tamen visum fuit non afferre optatum fructum. Memorabilis exstat in hanc rem obseruatio SIM. PAVLLI, vere practici botanographi. Is quum in ægroto tali nihil proficeret oleo, memor admonitionis quam CASP. HOFFMANNVS in præfatione libri *de medic. officin.* dedit, quod eiusmodi concentrata ventriculo nimia vi occurrant, spasmis scilicet antea male tenso, se conuertit ad mitiorem formulam, dictosque flores vino Rhenano aliquoties infudit, idque falsum infusum præbuit, eo successu, vt mox conatus vomendi cessarent, laxatisque vreteribus, citra insignem molestiam, aliquot calculi ex vreteribus in vesicam detrusi excernerentur. Quo experimento edoctus, non solum ipse sæpius eodem vsus in simili casu fuit, sed aliis, vt idem imitentur, auctor exstitit. Ratio, vt existimo, non abludit. Nam illud salinum resoluens, in sic parato infuso, iunctum anodinis viribus, expugnando malo multum profuit. Sed de hoc amplius disputandum esset, si calculi curationem ex instituto tractandam suscepissemus.

§. XIX.

§. XIX.

Quum balnea tepida & clysteres in hoc malo maxime conducant; lumborumque antea inunctorum, per vesicas, decocto leniente & anodino repletas, fomenta: omni modo hic locus est chamæmelo, & ex eo paratis, decocto, oleoue per infusionem facto, iunctis aliis emollientibus vt furfuribus, floribus meliloti, althæa, malua & similibus, prorsus vt indicatum est cum de usu carminatiuo differeremus. Qua ipsa ope cum exterior omnis habitus laxatus periphericam continuam transpirationem recuperet, impetratur ne febris inflammatoria, huiusmodi status fere assiduus comes, inualescat, & grauissimorum malorum auctor fiat.

§. XX.

Vsum chamæmeli anthelminticum post PETRVM FORESTVM, a ZORNIO citatum, (ast fallaci indicio, quia indicato loco nihil tale legitur,) vnus, quod sciam, BOERHAVIVS, sed intento digito, commendat *chem. tom. II. pag. 129.* Scilicet oleum destillatum iubet cum mica panis in pilulas redigere, easque homini diu ante ieiuno, ante cibum bihorio deglutiendas dare. Paria sic facere scribit oleis absinthii & tanaceti, quorum quidem anthelminticæ vires diu sunt cognitæ. Fateor me modum, quo iuuent, non satis perspicere. Vero mihi videtur simile ipsum odorem plantæ specificum auersari bestiolas intestinorum hospites. Id vt credam aliqua faciunt, quæ lectoris beneuoli iudicio permitto. Refert IO. RAIUS ex RVELLIO, quod apibus ingratum & odiosum, immo funestum sit chamæmelum, unde

de apiarii, vbi fauos eximere aluearibus volunt, hac planta suas manus confricent; quo fiat vt sæuientium impetus coerceatur, illæque se in ima abdant. Forte eodem modo lumbricis aduersus est ille odor. Omni-
noque multa sunt graue aut fortiter olentia, quæ animalcula in nobis hospitantia fugiunt. Non dicam de bryonia, cuius succo bufones & ranas expulsas legimus, sed tantum attingam nobilem curationem, qua medicus Memmingensis D.D. WOGAV, vt ex eius litteris ad D. D. PRÆSIDEM vidi, pauperulam a multis ranis liberauit, quum per XVIII. annos grauissime excruciatâ, omnique remediorum genere, ignota scilicet morbi causa, frustra fuisset curata. Dedit enim ille mixturam ad raucedinem concinnatam ex syrupo violarum, oleo amygdalarum dulcium & spiritu salis ammoniaci anisato, quam vbi deglutierat summas turbas sensit in intestinis, progredientibus ranis, quæ omnino funditus extirpatæ sunt copioso magis mixturæ usu & subiuncto purgante efficaci. Equidem quid insit mixturæ anthelminticum, præter spiritum salis ammoniaci odore penetranti ferientem, vix intelligo. Sed hoc iudicio B. L. permillum esto, vt ipsemet videat, si quid vero sibi similis occurrat.

§. XXI.

Haëtenus percurrimus vsum chamæmeli potissimum quidem internum, quanquam occasione ita ferente de externo aliqua interspersimus. Nunc ad externos vsus seorsim exponendos transituris incidit illud primum ARCHIGENIS apud GALENVN moni-
tum

tum de comp. pharmac. secund. locos lib. II. pag. 53. edit. Io. Cornarii, quod flores quidem præstantes sint, folia autem summe noceant. Est autem ibi sermo de iis, quæ capiti superimposita aut alligata dolorem eius tollant: quæ inter recensentur flores chamæmeli: de quibus ita Galenus attestatur: *cuius experientiam habemus, quod capitis dolorem iuuat.* Sed notari velim, ne quis hoc loco offendatur, ibi Archigenem loqui de fructu ex odore chamæmeli percipiendo; quem ex floribus non ex foliis, admittendum iubet. Porro, quod tamquam amuleticum & empiricum id laudet, ipso Galeno non omnia probante. Quod vero reliqua schola antiqua medica non damnauerit folia siue ad internum, siue externum usum, clare cognoscitur ex DIOSCORIDE, qui discretis verbis seorsim terenda folia, seorsimque suo tempore flores terendos & in pastillos redigendos atque ad usum vocandos docet. Anginosi ac conuulsis, itemque ad lassitudinem sedandam ac eximendam, non reperiri generosius medicamentum chamæmeli oleo infuso, si partibus illinatur aut circumdetur, testatur sæpe laudatus SIM. PAVLLI, idemque experientiam suam allegat, quod magno ægri commodo in pleuritide externis partibus imponantur sacculi chamæmeli floribus repleti, vel vesicæ suillæ decocto eius repletæ. Aliqui in his morbis pultem ex fegopyro coctam cum floribus chamæmeli & tantillo croci inter lintheamina conclusam imponunt, conspicuo dolorum lenimento. Ad lactis stagnationem & coagulationem in mammis puerperarum sacculi floribus chamaemeli repleti, aut ex iisdem cum lacte coctum cataplasma cum micæ panis

E

aequa-

aequali parte & saponis tantillo, apud multos in frequenti usu est. Tandem etiam ad dentium dolores, praecipue rheumaticos, saepe ultra spem profuisse tam sacculos quam decoctum ore detentum memini.

§. XXII.

Præparata officinalia vix supersunt, quæ non antea attigerimus: quare nec opus videtur ad ea recensenda operam seorsim impendere. Concludimus potius nunc hanc dissertationem, pro ea temporis ac librorum copia, quæ iam itineri accincto suppetiit, elaboratam: quam B. L. æquo iudicio commendamus. Deum precor ut porro meis conatibus faueat: eidemque pro concessis ad hunc usque diem beneficiis amplissimas & immortales grates me habere professus, felicem facio commentandi

F I N E M.



NOBI.

NOBILISSIMO PRÆSTANTIQUE DOCTRINA
EXCVLTO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R Æ S E S.

FAcere non possum, quin TE honores in medicina summos capientem, reditumque ad patrios lares parantem, faustis apprecationibus prosequar. Alter iam ad finem tendit annus, ex quo TE primum cognoui. Ab eo tempore sæpius sermones de rebus ad salutarem artem pertinentibus habuimus, quum TIBI per omnes medicinae practicae partes priuatissima institutione mea uti videretur, aliqua etiam inter complures auditores a me tradita acceperis. Numquam non miratus sum cum diligentiam, tum iudicium, quod in colloquiis, motisque dubitationibus mihi abunde comprobasti. In omnibus TE præstitisti hominem liberum, qui non acquiesceret in eo quod clari viri dixissent, nisi cum ceteris in medicina firmis rationibus & euidentibus conuincereris. Illud maxime TIBI profuisse cognoui, quod in ædibus excellentissimi medici, parentis tui, tam in rebus ad clinicam medicinam pertinentibus præclare institutus fuisti, quam

ad chirurgiæ quotidianum exercitium adductus. Au-
xisti in patria collectam medicinæ scientiam in perillu-
stri Basileensi academia, in qua neminem omnino ne-
glexisti, a quo profectum liceret capere. Ita patienter
minimeque festinanter agendo, cum ætatis maturitate
tantam in studiis maturitatem consequutus fuisti, ut
non possim non præstantissima quæque de TE augura-
ri, omninoque confidere fore ut in TE patria virum
deprebensura sit, cui salutem quisque suam secure
permittere cupiat. Quid ni igitur gratuler TIBI
hunc diem, qui vitæ academicæ, cum summa pro-
bitatis & industriæ laude peractæ, felicem colopho-
nem imponit? Sed magis mihi ipsi gratulor cui pu-
blice licet præconem tuæ virtutis agere, TIBIque,
quos optimo tuo merito reportas, honores conferre.
Id vero quum iucundissima & letante mente facturus
sim; nunc abrumpam illum sermonem, & potius a-
liqua TEcum his litteris confabulabor de re ad tuæ
dissertationis argumentum pertinente. Scilicet ubi
incidi in illum locum, ubi chamæmeli commendati-
onem ad lumbricos abigendos ex viro summo & nu-
per calitibus adscripto HERMANNO BOERHAA-
VIO commemoras mirari TE significas, cur ex tot
medicis de chamæmelo multa prædicantibus, pauci hanc
virtutem attigerint. Verum utique est quod apud
FORESTVM illo loco, quem ZORNIVS indicat, nihil
de

de anthelmintica virtute, nihil etiam de lumbricis legatur. Conuerti autem me ad veteres auctores, bonoque casu in memoriam veniebat epistola ALEXANDRI TRALLIANI de lumbricis quam rarius obuiam restituisse videri possit celeb. D. D. FABRICIVS, qui eam Bibliotheca Græcæ volumini XII. inferendam curauit. Hanc ubi perlegebam, eius §. III. inueniebam ad lumbricorum cum febre curationem commendari aquam, in qua radix apii & chamamelum, & ea, quæ vocantur mischilia sint macerata. Quum legendo pergerem ad §. V. quo iis, qui vehementer febriunt, adhibenda docentur, videbam suaderi fotum exterius adhibendum cum pannis hydreleo imbutis. Illud autem sic parare iubet ut in aquam feruidam iniiciamus melilotum, chamamelum & absinthii modicum, idque infusum oleo chamamelino admisceamus. In fine tandem epistolæ ad ascaridum internecionem commendat enema iniiciendum, ex decocto farinæ hordaceæ & chamameli paratum. De hoc ita promittit, quod interficiat vermes quoslibet & ascaridas. Vides utique quod vetustus hic auctor, qui IVSTINIANO imperatori coæuus fuit, chamameli virtutem anthelminticam probe nouerit. Hoc autem duobus fere seculis posterior PAVLLVS AEGINETA omnino eandem doctrinam, quam ex Tralliano vidimus, proponit libr. IV. cap. LVII. his propemodum verbis: Quoties inci-

dit vt & febris & lumbricorum ratio ex æquo habenda sit, conuenient simplicissima auxilia. Oportet itaque ante omnia potandum dare decoctum ex millefolio & myxis. *Paucis interiectis externe adhibendum suadet cataplasma ex oleo chamamelino, vino & summitatibus absinthii cum momento aloes paratum & hypochondriis imponendum. Apparet ex laudato loco, quod Tralliani mischilia sint eadem, quæ Paulus vocauit myxaria: nos hodie sebesten vocamus. Quum hæc scripsissem apud PETR. FORESTVM tandem inuenio desideratum testimonium Libr. XXI. obs. XXXIV. schol. ubi chamamelum antbelminticum ex Pauli & Aetii testimonio leuiter attingit. Sed quominus etiam Aetium consulam efficit breuitas temporis, quæ finem scribendi facere imperat. Superest vt TIBI, candidate charissima, fausta fortunataque omnia apprecer, vtque memoriam amicitie nostræ numquam deponas etiam a TE atque etiam efflagitem. Vale. Hæle Magdeburgicæ a. d. XXII. Aprilis clb lccc XXXIX.*



So hast **Du** nun nach Ernst und Fleiß
Das aufgesteckte Ziel errungen.
So bist **Du** nun mit Ruhm und Preiß
Zu jenem Altar durchgedrungen.

Wir sehen **Deinen** Cyfer nach;
Wir suchen auch den Weg zu finden,
Da uns Hygää allgemach
Auch wird den Lohn des Fleißes winden.
Hier ist der Erantz, den **Du** verdient,
Den **Du** **Dir** selbst durch Schweiß errungen:
Den **Du** gepflantz, der wohl gegrünt;
Der **Dir** zur eignen Zierd gelungen.
So trage denn zu **Deiner** Ehr
Den Preiß, den **Dir** **Dein** Fleiß verliehen,
So wird **Dein** Glück jemehr und mehr
Dein Ruf und Wohlseyn immer blühen.

Hiemit bezeuget dem Herrn Doctorado
seine beständige Ergebenheit

Johann Georg Krumm
aus Riga in Liefland.



